


Pacta induciarum inter serenissimos ac potentissimos principes ...



SOT // Kungl. förordningar / 2. saml.

Tillkomstår 1629
Digitaliserad år 2016

P A C T A
I N D U C I A R U M
I N T E R
S E R E N I S S I M O S A C P O T E N T I S -
S I M O S P R I N C I P E S A C
D O M I N O S ,


Dn. G U S T A V U M
A D O L P H U M ,

Suecórú, Gothorú, Vandalorúq; Regem,
Magnum Principem Finlandiæ, Ducem,
Esthoniæ ac Careliæ, Ingrîæq;
Dominum, &c.

E T


S I G I S M U N D U M I I I .
Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuania, Rus-
sia, Prussia, Masovia, Samogithia,
Livoniæq; &c.

Ad Sex Annos initarum, usq; ad primam Julij,
ANNI M. DC. XXXV.



U B S A L I Æ ,

Excudebat ESCHILLUS MATTHIÆ,
ANNO M. DC. XXIX.



Nos GUSTAVUS ADOLPHUS
DEI GRATIA, SVECORUM,
Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Prin-
ceps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, In-
griæq; Dominus &c.

Notum facimus universis quorum interest: Dedisse Nos
mense præterito Julij Commissarios Nostros plenâ pote-
state & mandatis instructos ad tractandum, interveni-
ente mediatione amicorum Regum & Principum, de
pace aut inducijs cum Serenissimo Principe ac Domino,
Domino SIGISMUNDO III. Rege Poloniæ, Ma-
gno Duce Lithuania, Russiæ, Prussiæ, Masovia, Samo-
githiæ, Livoniæque &c. consanguineo Nostro, ac Re-
publicâ Polonâ. Qui congressi cum Ser:^{is} ejus & Rei-
publicæ Polonæ Commissarijs sequentia pacta, uti ver-
botenùs infrâ sunt expressa & inserta, inierunt &c.

Nos, SERENISSIMI POTEN-
tissimiq; Principis ac Domini, Dn.
GUSTAVI ADOLPHI,
Svecorum, Gothorum, Vandalorumq;
Regis, Magni Principis Fin-
landiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ,
nec non Ingridi Domini &c. Domini Nostri Clementif-
simi, Regniq; Sueciæ, Commissarij: AXELIUS OXEN-

OXENSTIERNASacraRegiaM:^{ti} Regniq; Suecia
Senator & Cancellarius, ad Exercitum in Borussia Le-
gatus, ibidemq; partium S. R. M:^{ti} subjectarum Guber-
nator Generalis & Liber Baro in Kymirho, Dominus in
Fyholmen & Tydöen, Eques auratus, &c. HER-
MANNUS WRANGELIUS S:^z Reg. M:^{ti} Exerci-
tuum, Campi Marschallus, Hereditarius in Ahlo &
Scogkloster, &c. Et JOHANNES BANERIUS
Tribunus ac Gubernator Höfftenfis, Hereditarius in
Mulhammer, Eques auratus, &c. Notum testatumq;
facimus universis quorum interest; Quod cum ad
sopiendum hoc funestum bellum, cum Serenissimo ac
potentissimo Principe ac Domino, Domino SIGIS-
MUNDO III. Rege Polonia, Magno Duce Li-
thuania, Russia, Prussia, Masovia, Samogithia, Li-
voniaq; &c. Reg. publicâ Polonâ, gestum, Serenissi-
mus ac potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus
LUDOVICUS XIII. Francia ac Navarra
Rex &c. Christianissimus, Legatum suum Illustris-
simum Dominum Herculem, Baronem de Charnace,
Equitem sui Ordinis, Cubicularium secretiorem ac
Tribunum &c. ac Serenissimus & potentissimus Prin-
ceps & Dominus, Dominus CAROLUS Ma-
gna Britannia, Francia & Hybernia Rex, fidei defen-
sor, Legatum suum Illustrissimum Dominum Tho-
mam Rœe &c. Equitem auratum, misissent. Hi ad-
junctis

*junctis sibi Serenissimi Principis ac Domini, Domini
GEORGII GVILHELMII Marchio-
nis Brandenburgensis S. Rom. Imp. Electoris &
ArchiCamerarij, in Prussia Ducis &c. Commissarijs,
Magnificis ac Generosis Dominis, Andrea à Kreuzen,
supremo Consiliario & Capitaneo Provinciali, Bern-
hardo à Königseck Consiliario provinciali, & Geor-
gio Rauschke Consiliario Judicij Aulici, Ducatus Prus-
siae, &c. postquam studio omni, summa fide ac dexteri-
tate, reducendae tranquillitati incubuissent, seposito in
praesens, ad tempus certum, pacis perpetuae negotio, quò
interim de hoc pacatiùs ageretur, eò rem, Divinà ad-
juvante bonitate, deduxerunt, ut congressi hisce diebus
cum Reverendissimis ac Illustrissimis, Illustribus,
Magnificis & Generosis Dominis Commissarijs Sere-
nissimi Regis Regniq; Polonia, Domino Jacobo Zad-
zik Episcopo Culmensi ac Pomesaniae, Regni Poloniae
supremo Cancellario, Domino Jacobo Sobiesky Inci-
sore Regni, Crasnostaviensi, Domino Georgio Oso-
limsky de Tenczyn Dapifero Regni, Adselensi, & Do-
mino Magno Ernesto Döenhoff, Derpatensi, Capi-
taneis &c. de Inducijs ad modum sequentem convene-
rimus, statuerimus & concluserimus: Sint ex hoc
die Inducia inter Serenissimum Principem, Dominum
GUSTAVUM ADOLPHUM Regem
Sueciae &c. Dominum nostrum clementissimum, Sac:
Regie*

M:^{ci}* *sua* *successores*, *Reges Suecorum*, *Regnumq;*
Suecia ex unâ parte, & Serenissimum Principem Do-
minum SIGISMUNDUM Tertium Regem
Polonia, Magnum Ducem Lithuania & c. Suâq; M:^{cis}
successores Reges Polonia & Magnos Duces Lithua-
nia, Regnumq; Polonia & Magnum Ducatum Li-
thuania, ex altera parte, annis sequentibus Sex, à data
presentium computando, usq; ad primum Julij stylo
veteri, Anni Millefimi Sexcentefimi trigesimi quin-
ti. Sac. Regia M:^{cas} Regnumq; Suecia abstineat, du-
rantibus Inducijs, omni hostilitate ad versus Regem Re-
gnumq; Polonia & Magnum Ducatum Lithuania,
eisq; subjectas provincias, castra, civitates & territo-
ria, neq; quidquam vel per se, vel per alios, moliatur aut
tentet, tentari vè faciat, in horum detrimentum aut
prajudicium. Ad eundem modum Serenissimus
Rex, Regnumq; Polonia & Magnus Ducatus Lithua-
nia, abstineat, durantibus Inducijs, omni hostilitate ad-
versus Regem, Regnumq; Suecia, eisq; subjectas pro-
vincias, castra, civitates & territoria, neq; quicquam
vel per se, vel per alios, moliatur aut tentet, tentari
vè faciat, in horum detrimentum aut prajudicium.
Serenissimus Rex Suecia reddat Serenissimo Regi,
Reiq; publica Polona, Strasburgum in Culnensi tra-
ctu, cum suo territorio, Dirschaviam in Pomerelia,
cum suo territorio, Iusulam Gedanensem, Gutstadi-
um,

um, Vormitum & Mehlfaccum, cum suis territo-
rijs, in Episcopatu VVarmienfi; item Ecclesiam Fra-
wenburgensem, cum suo adjecto oppidulo & pagis;
tùm Mithaviam, in Semigallia, cum suo territorio,
Duci Churlandia, hoc observato, ut Nova Munda &
Spilven, cum ijs, qua coherent, uti in prioribus Indu-
cijs factum est, Rigam sequantur, & Frawenburgum
his legibus reddatur, ut portus Frawenburgensis, cum
totâ Habi ripâ & littore, maneat in potestate Regis
Suecia, reservatis Frawenburgensibus suo piscandi
jure; Deindé ne Frawenburgum aut quis alius locus
ejus territorij, stantibus Inducijs, muniatur; & ut iter
Regis Sueciae subditis ac militibus semper sit liberum
per Frawenburgense territorium. In Livoniâ u-
traq; pars, uti nunc possidet, itâ possideat durantibus
Inducijs, exceptâ Mithavia, ut in superiori articulo.
In Prussia verò Rex Regnumq; Suecia retineat & pos-
sideat, uti possidet, Brunsbergam & Tolkemitum,
cum suis territorijs, Elbingam cum suo territorio, tam
in continente, quam in utraq; Insula, & Insulam Fi-
schaviensem integram. In Majori Insulâ ripam
omnem Habi, incipiendo à territorio Elbingensi, usq;
ad ostium Vistulae, cum adjacentibus & propinquis pa-
gis Stobendorff, Habersdorff & Allendorff; tum
ad Vistulam Tigenort, atq; indè ductâ lineâ ad agge-
rem Insularē cum ipso aggere & Kukukskrug usq; ad
Janc-

Janckendorff, & quicquid agri, vulgò Butendijk, Insularum aut paludum, cum inadificatis aedibus, tabernis & structuris, quæ Insulam Majorem & Neringiam interjacent, atq; à Janckendorff, inter aggerem Insularem ac Neringiam, in Habum usq; procurrunt, unà cum Cobelgrube, Groskenkrug, Stuthoff, Stegen, atq; hinc ductâ in mare lineâ, quicquid Neringiæ, Stegen atq; Pillaviam interjacet, cum ipso portu Pillaviensi, salvis operis & excubijs circa reficiendos & conservandos aggeres, quas coloni earundem villarum, statis temporibus præstare tenebuntur, more consueto. Mariaburgum cum Insula Majori (excepto Elbingensi territorio & ripa pagisq; supradictis,) Stumâ, Capite Vistulae in Neringia, durantibus Inducijs, collocentur & sequestrentur in manu Serenissimi Principis Domini GEORGII GUILHELMI, Marchionis & Electoris Brandenburgensis, in Prussia &c. Ducis, hac lege, ut mense uno antè exitum Induciarum (si intereâ de principali negotio non convenerit) Mariaburgam cum Capite seu fortalatio Vistulae, Stuma & Majori Insula, non aliter ac nunc tenentur ac possidentur, Regi Regnoq; Sueciæ reddantur ac restituantur, sine fraude, doloq;. Pro majore securitate Regis Regniq; Sueciæ, ratione recuperationis Mariaburgi, Capitis Vistulae & Stumæ, Serenissimus Elector relinquat in manu Regis Sueciæ Fisc-

hausium

hausium & Lochstetum, cum suis territorijs, & eam ter-
ritorijs Schakenfis partem, qua Neringiam ac Lacum Cbu-
ronicum spectat, Fischausenseq; territorium cum Nerin-
gia & lacu connectit, prout inter Regis Sueciae ac Ele-
ctoris Commissarios convenerit; tum ipsam Neringiam
Churonicam; ac demum Memelam castrum & civita-
tem, cum suo territorio: & hac possideat ac retineat Rex
Regnumq; Sueciae eodem jure, quo nunc Mariæburgum
habet, donec aut hoc cum Insula, Vistulaq; Capite seu for-
talitio, caeterisq; uti dictum est, redditum fuerit, (quo ca-
su illa Serenissimo Electori sine fraude doloq; restituentur)
aut per nova diuturnioris pacis pacta aliter convenerit.
In sequestrandis aut tradendis hisce, qua restituentur, vel
cautionis loco dabuntur, hic ordo observetur, ut tradita
Regis Poloniae ratificatione Strasburgum, Gutstadium,
Vormitum, Melsaccum, Frawenburgum & Dirscavia,
deductis praesidijs tradantur Commissarijs Regis Regniq;
Poloniae intra dies ad summum Sex. Tradetur quoq; Ma-
riæburgum & Stuma, deductis praesidijs Regis Sueciae, Se-
renissimo Electori intra duodecim dies. Quo recepto
Memelia Commissarijs Regis Sueciae, deducto praesidio E-
lectoris, intra dies octo consignabitur, ac demum Caput Vi-
stulae eidem Electori, deductis praesidijs, intra dies octo tra-
detur, idq; omne, quicquid sit, sine dolo ac fraude, à singu-
lis & universis fiat ac praestetur, bonâ & principali fide;
Justitiâq; de praesidiarijs, si quam injuriam civibus & in-

colis antè & in abitu, sive etiam in transitu intulerint, vel pecunias exegerint, administretur. Rex ac Respublica Polona nihil, durantibus Inducijs, moliatur aut tentet adversus Marieburgum, Caput Vistulae, majorem Insulam aut Stumam, nec vi, nec alia quavis ratione; sed Serenissimum Electorem, toto hoc tempore, ab omni periculo immunem praestet, locaq; supradicta pacificè possidere patiatur. Sit omnium anteaكتورum amnestia; & Rex ac Respublica Polona receptas in fidem suam civitates ac territoria, singulosq; cives & incolas, omni meliore modo indemnes praestet; juribus ac privilegijs, quibus antè hoc bellum gavisifunt, singuli ac tota communitas, non minus in posterum liberè & sine cujusquam impedimento fruantur. Curtae actiones adversus illos, qui partes Regis Sueciae hoc bello secuti sunt, aut secuti esse insimulantur, quibuscunq; in locis, sive restitutis, sive sequestrandis habitent, vel instituenda vel instituta, cessent, & si qua intentata sunt, tollantur, omniq; careant executione tempore Induciarum. In locis sequestratis Ecclesiae ac bona Sacerdotum maneanint ad eundem modum tempore induciarum, quo erant ante occupationem. Tum Brunsberga pro libero Religionis Catholicae usu, templum Neustadense, & in districtu eodem rure tres Ecclesiae concedantur. Neq; vis aliqua aut injuria illis inferatur, justitiaq; debita conquerentibus administretur. Evangelicis quoq; salvo manente & libero in locis sequestratis restitutis vè, uti antè viguit, publico sua

Re.

Religionis exercitio sine ullo impedimento aut molestia. Parochi autem concessarum Catholicis Ecclesiarum supra nominatarum, suis antiquis proventibus gaudeant. Si cui aut quibus non placuerit in restitutis civitatibus & territorijs manere, sed potius, mutato domicilio, se vel Elbingam, veletiam ad exteros conferre: liberum cuilibet sit sua divendere, alijs elocare, aut pro lubitu suo distrabere sine ullo impedimento aut onere, sub quocunq; prætextu imponendo. Idem quoq; liberum erit in ijs locis, qui in possessione Regis Regniq; Sueciæ remanebunt. In locis restituendis & sequestrandis relinquuntur bona fide omnia mobilia Ecclesiarum, quæ in præsens reperiuntur, uti sunt vasa & vestes sacra, campanæ, aliæq; ad usum Ecclesiarum servientia; tum libri Cancellariæ, Privilegia & acta publica. Si quæ tamen temporum injuria, à milite sunt direpta, aut reliquorum negligentia corrupta, ulterior in id inquisitio non instituatur, nec quisquam ad restitutionem teneatur. Tormenta itidem bellica & bombardæ majores, quæ tempore occupationis inventa fuerant, & adhuc in civitatibus restitutis sunt, restituentur. Tormenta verò & alia instrumenta bellica tot in quantitate & qualitate remaneant Mariæburgi & in Capite Vistula, quot ab Electore in Memelia tradita fuerint, sicuti de hisce inter Regem Sueciæ atq; Electorem convenerit. Si S. R. M. Sueciæ aliqua bona mobilia jure caduco, vel communitatibus, vel privatis & singulis largitus fuerit, ea serventur ijs,

quibus collata sunt. Exercitus omnes, exceptis praesidia-
rijs, ab utraq; parte ex Provincia deducantur, nec imposte-
rum utrinq; reducantur stantibus inducijs, multo minus in
terras ac Ducatum, sub qualicunq; pretextu mittantur.
Commercium & itinera, terrà, fluminibus ac in portibus
utrinq; libera ac minime impedita sint, tam in Regno Po-
lonia, quàm Magno Ducatu Lithuania; nullaq; vectiga-
lia aut exactiones in terra aut fluminibus alterutra pars
imponat, sed omnia maneant in hoc statu, prout antè hoc
bellum fuerant. Desuittatio mercium ex Magno Duca-
tu Lithuania Regiomontum versus, nullâ ratione in lacu
Curonensi ex portu Memeliensi impediatur, nullaq; vecti-
galia in eodem lacu exigantur. Eadem libertate fruun-
tur incolae Magni Ducatus Lithuania, in commercijs per
Dunam exercendis. Omnes captivi utrinq; detenti, cu-
juscunq; sint conditionis & status, nemine excepto, liberi
& sine pretio, ij qui in Prussia & vicinioribus Palatinati-
bus intrâ quindecim dies; qui in majori & minore Polo-
niâ, intrâ menses duos, qui in Russia & Lithuania, remo-
tioribusq; Provincijs detinentur, intrâ tres menses, dimit-
tantur. Idem servandum ex parte Regis Sueciae, ut ij,
qui in hisce locis detinentur, intrâ quindecim dies, qui ve-
rò in Sueciam abducti, vel in Livonia detinentur, intrâ
tres menses dimittantur. Praesidia utriusq; partis ex
locis Ducatus Prussiae, ubi fuerint, deducantur, observatâ
militari disciplinâ, nec miles ab utrinq; Ducatum hyber-
nis

nis aliquibus gravabit. Si quæ actiones cuipiam, cujus-
cunq; status & conditionis in Ducatu Prussia occasione hu-
jus belli intentatae sunt, aut intentari possunt, ea duranti-
bus inducijs cessent. Si quis, quicumq; is futurus sit, aut
sub quocunq; pretextu, hisce pactis contravenire, effectum
pactorum, & restitutionem dictorum locorum impedi-
re, aut si tertius quis sub quocunq; pretextu Serenissimum
Regem Regnumq; Suecia hic in Prussia infestare & ag-
gredi voluerit, Rex & Respublica Polona, Dux Borus-
sia, Ordines Regalis Borussia, & Urbs Dantiscana. spon-
deant ac promittant se arma cum S. R. M. Regnoq; Suecia
conjuncturos, & id pro virili adversuros, neq; pacta hæc
passuros ullo modo violari. Idem spondeat ac promittat
Serenissimus Rex Regnumq; Suecia, se nullo modo passu-
ros pacta hæc violari, sed arma cum Serenissimo Rege ac
Republica Polona, ut & Duce Borussia, Ordinibus Regalis
Borussia & Urbe Dantiscana juncturos, adversus quem-
cunq; qui hisce pactis contravenire, effectum pactorum &
restitutionem dictorum locorum impedire, aut sub quo-
cunq; pretextu Regem ac Rempublicam Polonam armis
in Borussia infestare, aut huc penetrare adgressus fuerit:
cunctaq; imminetia mala pro virili adversuros. Injurias
tam personales, quam reales, sub istas inducias incidentes,
nna pars de altera non vindicabit, salva Jurisdictione
cujusq; partis ordinaria; sed Justitia ab Officialibus &
Magistratibus competenter requiratur, eademq; indila-

ta ab utringq; administratur, severaq; pœna in violatores
pacis fide publica roborata exerceantur, nullaq; repressa-
lia aut arresta, tam terrâ, quam mari, ratione cuiuscunq;
injuriae, nisi Iustitia pluribus vicibus petita non admini-
stretur, admittantur, & si quæ antè hoc bellum concessa
sunt, cassentur; ita tamen ut ijs, quibus concessa sunt, Iu-
stitia administratur. Quod si quid gravius inciderit,
quod violationem pactorum concernere videretur, den-
tur utringq; bini Commissarij, qui loco aliquo inter Elbin-
gam & Mariæburgum assignato convenient, contro-
versiasq; exortas sopiant ac decidant; idem in Livoniâ
constituatur. Cum Induciæ præsentis eo fine conclusæ
sunt, ut tantò faciliùs, si ve de pace perpetua, si ve longio-
ribus Inducijs, inter partes, interventu Christianorum,
Principum, tractari possit; assignentur Commissarij u-
tringq; cum plenissimis mandatis, qui spacium unius anni à
data præsentium computando, loco ac tempore, de quibus
inter partes per Serenissimum Electorem conventum fue-
rit, convenient, ac de principali negotio, firmaq; ac stabi-
li pace, mediantibus amicis, tractent; qui, si rebus infectis
(quod DEUS avertat) discesserint, firmæ maneat In-
ducia, neq; tamen occasiones reducendæ perpetuæ pacis
ulteriùs omittantur. Si hisce pactis ex parte S. R. M.
Regniq; Sueciæ, Rex Daniæ tum Ordines Generales Con-
fœderati Belgij & Princeps Transylvaniæ, comprehen-
di & inseri velint, sit ipsis ejus facultas, modò se ad ista,
quinq;

quinq; abhinc menses declaraverint. Similiter ex parte Serenissimi Regis & Reipublicæ Polonæ, si Romanorum Imperator, Hispaniarum Rex, Infans Hispaniarum, Belgij Princeps, Dux & Elector Bavariæ, comprehendi & inferi velint, sit ipsis ejus facultas, modò se ad ista quinq; abhinc menses declaraverint. Ut pactis hisce firmitus insistatur, certòq; constet bonâ fide utrinq; servatum iri, ita convenit, ut primo redditis utrinq; procuratorijs DDun. Commissariorum, pacta hæc manu & Sigillo eorundem firmarentur & vicissim redderentur. Tum ut Serenissimus Rex Polonia quantociùs secundum præscriptam formulam confirmaret hæc pacta, & antequàm ullius loci fiat restitutio, suam confirmationem traderet. Deindè ut Serenissimus Rex Sueciæ solenni instrumento suo, illa nomine suo & Regni Sueciæ rata haberet, & Respublica Polona eadem in Comitijis primo quoquo tempore celebrandis solenniter approbaret, atq; confectis instrumentis ratificaret. Quæ instrumenta solennia ad formulam præscriptam, nulla voce aut syllaba mutata, per utriusq; partis Commissarios deputatos, quantò citiùs poterit, ad limites territoriales inter Elbingam & Mariæburgum sine morâ aut excusatione reddi utrinq; & recipi debebunt. Ad eundem modum Serenissimus Elector Brandenburgicus promittat se Mariæburgum & Caput Vistulæ, cum Insulâ Majori & Stumâ, jure sequestrationis retenturum, & mense uno ante exitum Induciarum, deductis suis præsi-

dijs

*dij, Serenissimo Regi & Regno Sueciae in manum reddi-
turum; recepturus vicissim Memelam, Fiskhaufium,
Lochstetum & Schakium, uti antè convenit, & hoc
speciali instrumento spondeat ac promittat. Actum in
campo ad villam Altemarck vulgò Starijtarg die decimâ
sextâ Septembris styli veteris. Anno Millesimo, Sex-
centesimo, Vigesimo Nono.*

Nos itaq; **GUSTAVUS ADOLPHUS,**
DEI gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumq;
Rex &c. promittimus & recipimus Nomine Nostro,
successorum Nostrorum, Regniq; Nostri Sueciae, Nos
singula & universa capita, pactis suprascriptis inser-
ta & comprehensa, bonâ & Regiâ fide adprobare,
laudare & ratihabere, sicuti hisce adprobamus, lau-
damus & ratihabemus, nec passuros à Nostratibus aut
alijs ullo modo violari. In quorum majorem fidem
ac certitudinem, hisce manu Nostrâ subscripsimus, &
signum Nostrum apponi jussimus.